

COLLEGII ADIAPHORISTICI

Calvinianis oppositi,
DISSERTATIO IX.

De

ALTARIBUS, HO-
STIIS, SACRIS VESTI-

bus, aliisque ritibus in administratione
Coenæ usitatis,

Quam

NUMINIS TRIUNIUS ADIUTUM

In Electorali ad Albim Academia

SVB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI, S. S.

Theologiæ Doctoris & Professoris
publici,

Placidâ σύντησὶς ventilanda proponit

M. GEORGIUS MAGIRUS

Lubec. Saxo.

Ad diem 15. Decemb. horis locoq. consuetis.

UUITTEBERGÆ

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XX.

8.)

Egimus hætenus de ἑτοιμασία: Opera pretium nunc futurum, ut Cere-
monias ritusq; reliquos accuratâ animi lance perpendamus. Nam
quod OEcumenicis ille gentium Doctor D. Paulus Corinthiis suis 1. Cor. 1. v.
14. tam crebro inculcat, πάντα πρὸς οἰκοδομὴν ἐυχρημόνως καὶ κτ' ἐπι-
ξιν ἡρώδω, id nobis quoq; dictum putemus.

THESIS I.



NE hic ἀνίπτοις χερσὶ καὶ ποσὶ rem aggrediamur, i-
psam age definitum primò consideremus. Altare
græcis θυσιαστήριον à θυῶ offero & sacrificio. Iulius
Pollux lib. 1. cap. 1. sect. 4. θυσιαστήριον βωμὸν θυμια-
τήριον ἐστὶν pro Synonymis habet, addens ita vo-
cari ea, ἐφ' ὧν θυομένη ἢ πῦρ ἀνακαίονται, Heb: מזבֿיח
quasi sacrificatorium dictum a radice מזבֿיח mactavit, vel sacrificavit,
de quo Forsterus in lexico pag. 206.

Frequentissimus altarium usus fuit in V. T. In novo pacto
etiam mensam illam in qua panis & vinum, aliaque dona ad alen-
dos pauperes offerri solita (quæ sacrificia dicta,) altare vocarunt.

II. Latinis altare & ara promiscuè usurpantur, quæ tamen,
Servio si credimus, differunt. Ita enim ille: *Novimus aras diis superis
& inferis consecratas; Altaria verò esse superiorum tantum Deorum, quæ ab
altitudine constat esse nominata.* Et ut Scaliger putat, ara notat propriè
foculum, qui manibus portabatur. Sed ea lis Grammaticorum.

III. Cum Apostolis altaria lapidea integra & fixa ignota fu-
isse constet, dum ex metu Tyrannorum in sylvis antrisq; subter-
raneis nonnunquam convenerunt, teste Origene lib. 4. c. 8. contra
Celsum: *Movetur hodie quæstio. Num altaria, quæ sic vocant, submo-
vere oporteat, usq; mensas ligneas substituere?*

IV. Ubi mirum est, quam in ea sæviant Calviniani nostri,
Zelo nescio quo: puto autem eo, de quo Apostolus Rom. 6. v. 3. qui
ἐκατ' ἠπίγνωσιν. Nostrarum Ecclesiarum sententia hæc est. I. *Alta-
ria bonâ conscientia retineri posse in templis*: Causæ sunt 1. Christiana
libertas, quæ hoc permittit, 2. Antiquitas eorum de qua consule

Centu-

2

Centuriatores Magdeb. Centuria 2. pag. 120. Centuria 3. pag. 121. 3. Quia faciunt ad ἄξιον & ἀνεσώτων. II. Eadem tamen posse aboleri, si fiat id sine scandalo infirmiorum, maturo consilio & consensu totius Ecclesie. Causa est, quia sunt Adiaphora, quæ retinere vel abrogare potest Ecclesia, quatenus ad οἰκονομῶν faciunt, vel non faciunt. III. Eadem in gratiam Calvinianorum, utpote falsorum fratrum non abolenda esse, in casu confessionis, Ita ne quidem ad horam cedere oportet Galatas 2. De quibus omnibus prolixè alibi disputant Theologi.

V. At grunniunt illi, Altaria ad cultum Novi Testamenti non pertinere, cum in eo sacrificii interventu mortis Christi in cruce penitus consummata planeq; sublata sint, ut ex Danielis c. 9. patet, ita ut nullus eorum amplius usus sit necessarius: Resp. 1. Hinc sequitur tantùm hoc, non haberi altaria debere, ut in illis sacrificetur, quia victimæ cessarunt, concedimus. Ast unius rei plures sunt fines. Etiam altaria ad id erant, ut ibi fierent preces & benedictiones, &c. Hic usus in nostris Ecclesiis manet, 2. Sequitur hinc quod nostra non vocentur propriè altaria, cùm sacrificium & altare correlata, quæ se mutuò denominant. Addo 3. quod etiam nobis sint Sacrificia spiritualia preces & vota. Apoc. 5. v. 8. & sacra Cœna quam sacrificium (puta Eucharisticum) vocarunt patres. Vide Chemnit. 2. Exam. Conc. Trit. p. 250. & alibi.

VI. Instant secundò, Ea à Judæis partim, partim etiam ex Papatu originem traxisse, idolomoniâq; esse repleta. R. Etiam Scripturam a Judæis habemus Rom. 3. v. 2. Ideone illa improbanda? Ἄρα & mihi eris, si hoc dixeris. Non igitur omne quod à Judæis, malum aut nobis illicitum. A Pontificiis non esse profecta Altaria, ostendunt Patres, quibus ea in usu fuisse, ante diximus. An verò quicquid a Pontificiis malum? Non credo. Ast abominatione Misse sunt contaminata. Tollamus igitur illum abusum, & maneat rei verus usus, neq; enim abusus tollit rem ipsam.

VII. At codicem sacrum arripiunt ex eoq; demonstrare nuntur, Deum in populo Israelitico altaria iussisse demoliri idololatrica. Quibus hoc responsi regerimus, μηδὲν ὀργῆς ἐστὶν hoc argumentum: Aliam enim fuisse rationem ejus temporis constat, cum Dominus unum tantummodò templum, unumq; duntaxat Altare in universo regno Israel erigendum curaverit. Meritò igitur reliqua destruebantur. Nunc vero per singulas ci-

vitares, vicos, pagosq; templa sua habet, & nihil refert, quibus or-
tamur mensis, lignæ sint sive lapideæ, dummodo per verbum,
organon efficacissimum ab omni Idololatricâ superstitione cor-
da & templa sint repurgata, Deinde in eo etiam dispar ratio est:
quod altaria illa partim ab Ethnicis, partim in honorem Dæmo-
niorum, (Dii enim gentium Dæmonia) fuerint extructa: Nostra
verò a Christianis in honorem veri Dei conficiuntur. Sed satis de
Altaribus.

DE HO-
STIIS.

II. De hostiarum rotundarum origine & autore certi nihil
sciri ad amissim demonstrari potest. Quidam enim ad *Alexandrum*
I. referunt circa annum Christi 119. At sine ratione graviq; autore.
Alii verò ad *Phocæ Imperatoris* tempora circa annum Christi 607.
rejiciunt.

IX. Illas, ut nostris Ecclesiis usurpantur, Theoninis dentibus
arrodunt, sannis conviciisq; excipiunt Calviniani: Christum enim
in primâ Cœnâ communi domesticoq; pane usum fuisse conten-
dunt. Inde tanquam pro aris & focis, pro fermentato pugnant &
digladiantur, Azymum vero nostrum plane respuunt. Movel eos
præcipuè illud, quòd hostiæ vel oblati nomine utimur, & materia
ipsa, quam blasphemò ore vix spumæ panis nomine in digitant, &
ex Papatu ortum suum trahere affirmant.

X. Ast cum variæ variorum hominum hîc concurrant opi-
niones, nos non quid hic aut ille egerit aut instituerit, curamus,
sed Christum summum hujus tremendi & venerandi Sacramenti
præsidentem & fundatorem attendimus & spectamus. Christum ve-
ro azymo pane in sacra Cœna usum fuisse, nemo ibit inficias. Hoc
enim requirit esus agni Paschalis *Exod. 14.* quem Christus tunc in-
stituerat. Nulla igitur causa subest, cur non & nos illum in nostris
Ecclesiis, multis a seculis usurpatum retinere possimus, sed ad nu-
tum & placitum adversariorum nostrorum permutate debeamus:
Præsertim cum & hoc ἐν τῷ μέσῳ κείμην adiaphorisq; accensen-
dum sit.

XI. Ut enim ipse panis ad partes *οὐ σαλινὰς* Sacramenti refer-
tur, & propterea de necessitate est, Sic accidentia panis an fer-
mentatus vel infermentatus sit, parvus an magnus, rotundus an la-
tus, inter adiaphora referuntur. Quemadmodum nihil inter est
rubrum ne an albicans vinum adhibeamus, Rhenanum an Fran-
cicum,

cicum, hodiernum aut ante aliquot annos natum. Azymus præterea panis pulcherrimam nobis ob oculos ponit Allegoriam, quâ Patres libentissimè usi, quam & D. Paulus in Epist. 1. Corint. 5. v. 7. nobis commonstrat: inquit: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, ut azymi estis.*

XII. Falsissimum & injustissimum adversariorum de hostiis nostris iudicium, dum appellatione panis eas vix dignas iudicant. (vocant enim *fleine runde Siegelplätzlein* / ut ex nuperis *Calvinianis Berolinensibus* constat) ad Garamantas meritò relegamus, siquidem illam formam in primitiva Ecclesia; etiam ante Papatum tempore Epiphaniï viguisse & floruisse liquet.

XIII. Præterea neq; nomen oblatis primitivæ Ecclesiæ ignotum fuit, testibus *Iustino Martyre & Irenæo*; *Communicantes* enim dona offerebant, ex quibus pars una in communionem Cœnæ cedebat, altera vero ad sustentationem ministrorum & pauperum, unde etiam *ἀγάπαι* dictæ: quasi sacrum convivium testificandæ & confirmandæ mutua charitatis ergo institutum, ut locupletissimus extat testis *Fertullianus* in *Apol. c. 39.*

XIV. Hostiæ quoque nomine cur offenduntur? Esto enim Pontificios hostias appellasse, quia Cœnam mutarunt in sacrificium expiatorium. An non ideò nobis licitum erit sano sensu vocem retinere, & panem sacram hostiam vocare per *Synechdochē* contenti pro continente (cave vero ne somnies hic inclusionem aliquam) eò quòd pane, tanquam ordinario medio, nobis offeratur vera hostia pro peccatis mundi, corpus nempe Salvatoris.

XV. Ast in hoc *Cardo* controversiæ inter nos & Sacramentarios vertitur, 1. *Num hostia seu oblatum verus sit panis?* Nos affirmativam tuemur, quam & ipsi, nisi contra conscientiam loqui vellent, ultrò fateri cogentur. Adest forma, adest materia, adsunt accidentia panis; quid ultra? *Num hostiæ ex Papatu ortum trahant, Papiasticiq; characteres ijs confirmantur & stabiliantur?*

XVI. Negativam hîc planè tuemur, non ex Papatu eas originaliter, sed ex primitivâ potius Ecclesia originem sortiri, & ad huc in Papatu retineri. Neque omnia ex Papatu descendencia protinus abolenda, & pro Idololatria sunt habenda. Tolle ab illis quæ ex Papatu ad nos pervenerunt superstitionem & idololatriam, nihil nocebunt amplius.

DE OR
P. EN

PROBIO
MATE
AI COBNA
PROMVA
CIVIDA

XVI. Ast ovum ovo non tam est simile, quàm Calvinistæ nostri Pharisæis de quibus Christus affirmat, quod excolent culicem, Camelum vero deglutiant, Matth. 23. v. 24. Mirum enim cur adversarii hostis nostris tam sint infensi, cum tamen *Theodorus Beza* impudentissimo ore affirmare non erubescat, in Sacramento, loco *Symæolorum*, panis & vini alia substitui posse.

DE OR-
NATV.

XVII. In administratione Sacramenti V. variis vestimentis indutos legimus, Usus vero preciosarum vestium in distributione Cœnæ, *Caroli Magni* liberalitate introductum esse, referunt historici: Sacerdotemq; purpura indutum Cœnam administrasse & distribuisse *Carolo Magno*.

XVIII. Etsi vero Christum in institutione Cœnæ, itemq; Apostolos in celebratione ejus veste honesta & vulgari usos esse sciamus, non tamen ministrum peccare concludimus, si ad mensum Domini decora veste indutus accedat. Idq; adeò, quia ex variis illis vestibus, quibus uti Levitas & Sacerdotes priscos Deus voluit hoc nobis morale emergit, sacra administrantibus veste sacrâ uti licere. 2. Quia admonentur homines externa illa mundicie vestimenti partim de puritate cordis, quam debent afferre, partim etiam de reverentia, quæ in usu hujus Sacramenti necessaria. 3. Quia idem hoc facit ad *εὐχρηστωσίαν*, quam Paulus in ritibus Ecclesiasticis potissimum requirit.

QVO IDIO-
MATE VER-
BA COENÆ
PRONVN-
CIANDA.

XIX. Verba institutionis Christi recitata esse extra omnem controversiam positum, teste *Arnobio* lib. 4. de Sacramentis, aperta & omnibus discipulis nota voce, ut ab omnibus audiri & intelligi possent. Quibus vestigiis & Apostolos instituisse linguâque vernaculâ & omnibus notâ clarâq; voce cœnam ceterâque omnia in Ecclesiis peregisse, ex tota Paulina disputatione 1. Corinth. 14. extante liquidissime apparet. Ibi enim hortatur Corinthios, ut linguâ vulgari in Ecclesia loquantur, quo ab hominibus intelligantur. Et inter alia: Sin, inquit, incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos, nisi per linguam benè significantem, hoc est, claram & altam vocem edideritis, quomodo intelligetur quod dicitis? Eritis in aera loquentes.

XX. Nec verisimile fit, Christum hoc modo instituisse cœnam, ut actio quidem esset visibilis & publica, verba autem Sacramenti, quæ præcipua pars sunt, incognita, atq; peregrina lingua

FLA 21

A

gua

9
guā tacite pronun-
tia it, ut à nemine intelligi potuerit. Merito igitur hic à Thoma sententia abhorremus 3. part. summa qu. 178. art. 8. affirmantis, Christum in cœnâ ultimâ silentio & tacite more sacrificulorum consecrasse.

XXI. His quoq; de causis lychnos cum germanicis cantionibus in nostris Ecclesiis usitatis retinemus. Libertati enim Christianæ sunt subjecta. Neque tantopere necessitatem eorum urgemus, sed ea mutari quandoq; posse concedimus, non tamen ad nutum & imperium Ὁδοδέλων, nec ad eorum formam, tumultuaria nimirum reformatione & abolitione, sed totius Ecclesiæ auctoritate & consensu. Inserviunt quoq; ὁχημοσώνη καὶ ἄλλῃ: Attentionem præterea & reverentiam excitant non minimam, de quibus etiam videatur Augustana Confessio art. 15. & 24.

XXII. Eucharistiæ in primitivâ Ecclesiâ in manus datam testis est luculentissimus Euseb. l. 7. Hist. Eccles. c. 9. Qui mos etiam ultra 600. annos à morte Christi obtinuit, ut ex Constantinopolitano Concilio, celebrato Anno 681. vel circa colligitur: Postmodum verò in Rotomagensi Synodo abrogatus est.

XXIII. Uti verò Calvinistæ in Ceremoniis sunt religiosi, sic hæc inutiles minimeque necessarias movent quæstiones de modo λήψεως 1. Utrum symbola in manus danda, an verò ori ingerenda? 2. Num stando aut sedendo communicandum sit? At Christus λαμβάνειν iussit, quod non tantum manu (ut inscite adversarii nostri existimant) sed & ore fieri constat, quod etiam ex Christi exemplo ad oculum patet, in cruce pendentis ὁ ἦ ἔλαβεν τὸ ὄζον. Ioh. 19. v. 30. Ἰησοῦς εἶπε τὸ τέλευται.

XXIV. De modo autem λήψεως non est quod lites feramus, sive quis stando, sive sedendo communicet, modo tremendo & admirando huic Sacramento debitus honor & reverentia præstetur. Quod vero in nostris Ecclesiis morem in genua procumbendi retinemus, non eò rapiendum, quasi panem adorare velimus, Sed 1. Ut Deum τεισμέγιστον invocemus, quò λήψις illa cedat ad æternam beatitudinem. 2. Ut nostram declarem devotionem erga hoc magnum mysterium & admirabile Sacramentum. 3. Ut nostram testemur subjectionem, quod nos humiliemus sub potenti manu Dei, & indignos nos susceptione tanti Sacramenti profiteamur.

XXV. Ad-

DE PORRE-
CTIONE
SYMBOLO-
RVM.

DE PANIS
ELEVATI-
ONE ET
DORATIO-
NE

Ioh. 19. v. 30.

DE POR- XXV. Adversarii nostri Cœnam ægrotis privatim non ad-
RECTIO- ministrandam docent. Verba eorum aliundè nota sunt. Nonne au-
NE COE- tem hoc est in serenissima veritatis luce cæcutire? Quis enim illos
NÆ. Quæ præcipuis finibus S. Cœnæ privare vellet? cum per hunc cibum in
fit ægrotis. unam massam cum Christo quasi coalescant, fides eorum confir-
metur & erigatur.

XXVI. Constat præterea, Patres ægrotis in privatis domibus
cœnam administrasse, quod historiæ monumentis luculentissimè
proditum. Hinc à *Cypriana* elegantissimè dictum: *Non inermes &*
nudos relinquamus morientes, sed porrectione sanguinis & corporis Christi
muniamus.

XXVII. Nullis præterea externis circumstantiis vel loci, vel
multitudinis, Deus Eucharistiam alligavit, ut ne tum quidem ho-
mo illius compos fieri possit, cum maximè indiget. Accedit quod
& Christum Sacramenti hujus venerandi autorem non in templo
Hierosolymitano, nec in ulla aliqua Synagoga Judaica, sed in pri-
vatis ædibus seu diversorio cœnam suam instituisse & celebrasse
sacræ literæ tenstantur.

DE PANIS
ELEVATI-
ONE ET A-
DORATIO-
NE.

XXIX. Deniq; & ob hunc in Ecclesia receptum morem B. Lu-
therum accusant, cum panis & vinum a sacerdotibus elevatur, qui
sane non adorationi, sed tantum commonstrationi inservire de-
buit, ut corda hominum ad devotionem eò fortius moverentur.
At inquit, hostiæ elevationem, Christi incarnationem significa-
re, alii Christum in cruce pendentem ostendere, alii modum de-
sumpti corporis Christi de cruce indicare, alii resurrectionem, alii
ascensionem ad cœlos, alii deniq; Christum alta voce clamantem
notasse affirmant: *Loricinus lib. 3. Durand. in rationali l. 4. c. 41. & Ti-*
telmannus de officio Missæ cap. 45. Sed nos Leviticum Sacerdotium
abrogatum, nullumq; locum in N. pacto habere scimus. Et tantum
de ritibus Ceremoniisq; Ecclesiasticis: Sanctifica nos Deus in ve-
ritate tua, sermo tuus est veritas, nosq; contra adversariorum stro-
phas technasq; clementer protege, saluberrimum Sacramento-
rum usum factum rectumq; custodi, quo tibi dicamus grata, Eccle-
siæ salutaria. Quod ratum in nobis esse velit **CHRISTUS JESUS**
in omnem laudandus æternitatem **AMEN.**

F I N I S.

DA XXX

hier einstempeln!

Th. ex. problem

359 h

Theo